





№. 10. 839.

SAPIENTISSIMO REGI  
GRAVISSIMO SENATUI  
INCLYTIS PROVINCIARUM NUNCIIS  
UNA OMNIBUS

*S E R E N I S S I M I S*

REIPUBLICÆ ORDINIBUS

*Cum*  
*Primum sacræ ædis lapidem, ob felicem Comitio-*  
*rum successum dedicarent,*

GRATULATUR

Bibliothecæ publicæ, suorumque collegarum nomine,

GEORGIUS KOŹMINSKI,

*Annò sæculorum Regis Christi MDCCXCII.*

*Die omnium toto in anno Poloniae faustissima,*

*Tertiâ Maii.*



O Deus Omnipotens precibus si flecteris ullis,  
Adspice nos, hoc tantum: & si pietate meremur,  
Da deinde auxilium Pater, atque hæc omnia  
firma.

Æneidos 2dô, v. 689.

587-639

Aug. 81. Dr

Nbl Jag

St. Dr. 1978. K. 961/8 (80)



# PANEGYRICUS.

CUM multa ad exornandam diem hodiernam, multa ad amplificandam eius lætitiã, bene sapienterquẽ provisa, parata, constituta sunt: Amplissimi Reipublicæ ordines, tum nihil sapientiùs, quàm quod supremæ rerum humanarum moderatrici Divinæ Providentiæ, ob servatam gentem hanc, sanctè à Vobis promissi monumenti primus hodie lapis solenni ritu consecretur. Etenim reliquus omnis celebritatis hodiernæ, quantus quantus ille est, apparatus, brevì evanescet, cessabunt concursus populorum, ibunt leves in auras svaves concentus, conticescent lætæ acclamationes, disparebunt superbi cursus, rhedæ, effeda, subtrahent sese ex oculis splendidi ornatu Equites, extingventur festi ignes, dilabentur suo perfuncti munere Provinciarum oratores, ita facilè abibit è loco, ex oculis, è memoria totum hoc adeo magnificè apparatus spectaculum; ut non nemo, ubi postero die vacua testæ, plateas, vicos conspexerit, somniãsse prope modum aliquid sese arbitretur. Hoc autem egregium opus, quod votò nuncupatò, molituri estis, & paulatim confurget & cum remotissimorum temporum, longinquitate certabit, & Vestri memoriam, vestrorumquẽ conatum, industriæ, laborum in Republica non solùm ab interitu vindicanda; verùm etiam quasi recudenda ac sapientissimâs legibûs communienda, æternùm, aut si hoc rerum humanarum vicissitudo non patitur, certè diutissimè conservabit. Et quoniam D. O. M. sacrum est, & pro magnitudine accepti beneficii, prolixa civium voluntate, dignitate gentis amplum ac splendidum futurum, nemo sibi non persuadet, quas Vos ob virtutes ac res gestas, maximè laudari, ac immortales apud poste-



ros fieri cuperetis, illas velut in compendio remotissimæ posteritati consecrabit. Nam ut & ego hęc jam locõ summam dicendorum faciam, & quivis facillè perspiciat, quàm bene excellenti virtuti vestræ, & præclaris facinoribus præcipuæ monumenti huius dotes, quamque mirificè congruant; ajo illud.

Ipsa sui sanctitate Vestram in Deum pietatem; Mole rerum, ad salutem patriæ gestarum domi, magnitudinem; splendore atque ornatu recuperatam foris genti universæ gloriam, sempiternæ posterorum memoriæ commendaturum. Equidem non mihi blandior, sed re vera ita pervasum firmiter habeo, nullum posse esse laudis genus, quod Vobis aut gratius, aut magis proprium sit, cuique insperatæ rerum prosperitatis comes invidia nihil detrahere queat & ringatur; quàm si & in superos pii, & pereuntis Reipublice indices acerrimi, & nominis Poloni gloriæ assertores celeberrimi, quemadmodum extitistis; ita ubique gentium, maximè autem Vestros inter populares, in servata à Vobis Polonia, in principe Regni urbe prædicemini.

Siqui mortalium in toto ærumnosæ vitæ huius curriculo, infinitisque ambagibus, ejus virtutis, quæ ad omnia utilis est (a), adminiculis opus habent; certè legumlatores, Principes & Reges imprimis, quorum consiliõ urbes, regna, imperia stant ac florent, imperitiã atque errore labefactantur, ruunt, à gentibus ad gentes transferuntur. Quantò enim plura, hęc locõ positi, ac quantò plurium emolumenta maturè prospicere, animõ complecti, summis conatibus

prose-

(a) Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. 1. Tim: 4.



prosequi, ingeniis, moribus, tempori sese accommodare, nosse occultas insidiantium artes, propulsare manifestam hostium vim, ire obviam erumpentibus identidem periculis, omnia & domi & foris perspecta habere, atque ad utramlibet sive prosperam sive adversam fortunam semper & ipsi parati esse debent, & suos ita posse comparare; ut nihil prorsus sit, quod detrectent, quibus omnibus nulla par humana sapientia esse potest, tantò sapientissimæ mentis illius, cujus nutu universum hoc atque arbitriò voluntatis regitur, frequentioribus, ne dicam, continuis indigent adjumentis. Porrò illam mentem, illam æternam sapientiam, gubernatricem illam universi, & quæcunque ejus ambitu continentur, Providentiam, ecquid tandem est, quo sibi magis homines demereantur, certiusque propitiam reddant, quam pietate? Quid? non hæc in omni retro antiquitate, excitavit, auxit, stabilivit, felicissimè rexit urbes, respublicas, regna? non contra evertit, prostravit, solo æquavit impietas? Non ego Vobis commemorabo, absit id à me, Solones, non Lycurgos, non Romulos, non Numas, qui simulatâ licet, atque in deos commentitios pietate, tamen plurimum in condendis, regendisque gentibus profecerunt. Immo nec Constantinos, Theodosios, Honorios, Rudolphos, Henricos, sexcentosque alios, qui tantò felicitate imperii, quantò pietate in superos cæteris magis excelluerunt. Non denique Vladislaos Jagellones, Sigismundos, Stephanos Bathoreos, qui Vestram hanc Rempublicam summis imperiis parem, magis studiò Religionis & pietatis, quàm victoriis & sapientissimâ administratione effecerunt. Quorsum enim hæc, quamvis illustria exempla iis, qui excellentis virtutis hujus ipsi posteris exemplò futuri sunt? Deditâ operâ an casu, voluntatis propensione an necessitate, consiliò an potius rebûs Vestris prorsus desperatis compulsi, in eam cogitationem



incidistis, ut Deum opitulatorem Vestrarum deliberationum habere vo-  
lueritis, parum refert, illud certè frequentius inter homines est, ut,  
quemadmodum prosperis rebùs insolescunt, ita adversis erudiantur, satis  
est, quod simul atque Deum adiutorem invocastis, sanctissimam ejus  
Religionem legibus firmastis, illam solam dominatricem esse volui-  
stis, ad vota, ad supplicationes, ad imploranda Divinitus auxilia con-  
fugistis, subito Vobis omnia mutata sunt. Fervebat magnum salu-  
tis atque incolumitatis Reipublicæ opus, quia fervebat deliberantium  
pietas; crescebat magnis incrementis Poloniæ felicitas, quia Ve-  
stra studia Divino numine afflabantur; eruebatur ex tristissimis pro-  
pmodum ruinis pulchrum olim ædificium hoc, quia Vobis opitu-  
labatur is, cujus comminationum veritatem & in aliis comitiis, mul-  
tis agnoscere, quamvis serò debetis, & in his initiò atque etiam in  
progressu experti estis, & in aliis gentibus mirari potestis. *Isti*, ait  
Ille, *ædificabunt & ego destruam* (b). Discant infelici suò fatò, at-  
que alios edocebunt, in vanum se *laborasse* (c), quicumque abjecta  
pietate, contempta Religione, neglecta superna ope, suis nixi viri-  
bus aliquid construere in animum induxerunt; tantumque aberit,  
ut aliquid solidum exædificent, ut etiam id quod firmissimum paulò  
ante videbatur, splendidum ac magnificum sæculorum opus, concus-  
sum subito, cædibus, incendiis, seditionibus labefactatum, à tumul-

(b) Destruiti sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt. Hæc  
dicit Dominus Deus Exercituum: Isti ædificabunt & ego destruam: & vo-  
cabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus usque  
in æternum. Malachiæ imo. v. 4.

(c) Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædifi-  
cant eam. Nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat, qui cu-  
stodit eam. Psal; 126. v. 1. & 2.



tuantibus civibus, non ab hostibus miserè eversum obstupefcant. Ita si sola quidquam temere sibi vindicet; non solum manca, verùm etiã perniciosa nonnunquam Regnis est humana industria, irriti conatus, vana consilia, inanis labor, ludicræ spes, ridicula proposita; funesti moliminum exitus. Contra igitur quod Vobis & omnem præter spem, & in summè perplexis atque intricatis juvandæ Reipublicæ negotiis, diu quasi fluctibus quibusdam descrepantium opinionum jactatæ, tandem ferme omnes ad mentem felicissimè successère deliberationes, quis hoc non auctori optimorum consiliorum Deo tribuat, à quo solo tot jam fracti ac defatigati laboribus, eorum fructum atque optatum finem unicè Vos expectare falsi estis? Cui ex intimo pii animi sensu dicebatis, *Tua, Domine, magnificentia, & potentia, & gloria atque victoria: & Tibi laus: cuncta enim quæ in cælo sunt & in terra, Tua sunt: Tuum, Domine, regnum, & Tu es super omnes Principes. Tuæ divitiæ, & Tua est gloria: Tu dominaris omnium, in manu Tua virtus & potentia: in manu Tua magnitudo & imperium omnium* (d). Quem posteaquam Dominatorem ac Moderatorem universi; ut revera est, piè cõfesi estis, debito illi cultu propitium Vobis reddidistis, ut par est, honorâstis; quasi Vestro jam jure ab Eo poscebatis, ut Vos gentem *validam* ac potentem efficeret, & neminem esse pateretur, quem præter Illum ampliùs *timeretis* (e). Una Vobis dies, cujus hodie dulcem memoriam tanto apparatu recolitis, immo quod multò stupendum magis, una illius diei hora salutem peperit, evanescere difficultates, sublata sunt obstacula, conci-

(d) 1. Paral: v. 11. & 12.

(e) Honora Dominum & valebis, præter Eum verò ne timueris alienum, Prov. 7.



liatæ diversæ opiniones, cessaverunt partium studia, deserbuit contradicendi ardor, versabatur ob oculos summum, quod in mora positum erat interitûs discrimen, & vehementius quàm unquam perurgebat; incensus est boni publici amor omnium, addita incredibilis quædam vis masculæ eloquentiæ Vestræ atque invictum robur, manibûs pedibûsque, ut ajunt, in eandem sententiam itum est; portenti simile quid accidit, ut, præsertim in tanta deliberantium multitudine, de rebus adeo multis simul atque ad quas nullô adhuc modô comparati Polonorum animi credebantur, immo quæ non sine aliquo privati quorundam emolumenti detrimento admitti posse videbantur, summa, quam nemo unus sperabat, animorum consensus sequeretur. Sentiat, per me licet, de hac adeo inopinata voluntatum commutatione, prout cuique visum fuerit; miretur tam salubres Poloniæ, consensionis hujus fructus, & anceps hæreat, cui potissimum tribuendi sint; gratuletur suis gentilibus tanta lucra, & ambigat, unde profecta sunt: ego illa magnum insignis Vestræ erga Deum pietatis *quæstum* (f) esse contendo; cujus ope, nisi Vobis superna auxilia procurâissetis, nunquam, neque in tam exiguo tempore, neque inter tot ubique offendicula, neque tantis rebus conficiendis, pares ullâ humanâ industriâ fuissetis. Sed in re, quæ omnium in oculis, qui tum aderant, versata est, ac quæ etiamnum altissimè in memoria impressa hæret, fortasse diutiùs moror, cumque alibi nempe in rebus minùs claris nonnihil dubitationis subesse possit, hîc nulli dubio locus relinquitur, quandoquidem & Vos ipsi, quidquid memorabili die illa actum est, totum id Deo auctori acceptum refertis, & siquis longè pulcherrimam ferventissimæ pietatis imaginem vivis coloribûs

---

(f) Quæstus magnus pietas cum sufficientia. 1. Tim: 6.



loribûs exprimere vellet, satis illi esset, Vos, quemadmodum tum erga Deum affecti fuistis, aliqua ex parte adumbrare. Verùm non credo posse esse ullum aut oratorem qui eloquentiâ, aut pictorem, qui coloribûs, aut cujuscunque generis opificem, qui ulla arte, piissimos illos & animorum & corporum motus, confundentes sese invicem exclamantium voces, approbantium uno ore novas leges suffragia, strepitum concurrentium ad Regiam sedem, celestitem festinantium ad proximam Divi Joannis ædem, læta suspiria, mixtos gaudio gemitus, dulces nonnullorum lachrymas, festos infinitæ multitudinis ubique clamores, cursum, accelerationem, mirificè commotentem, quicumque propiores adstabant, procumbentis in genua Regis ipsius situm, intentas in Deum mentes, fixos in aram oculos, sublatas in altum manus, nuncupata incredibili ardore vota, non, inquam, credo esse ullum hominum, qui tantam multitudinem & varietatem manifestorum sinceræ pietis Vestræ indiciorum, quâ exciti, subito Vos & ex conclavi proripuistis, & ad aras summa festinatione contendistis, & præsentem ibidem opiculatori vestro vota nuncupastis, exprimere ulla ratione posset. Si corporum varii pro diversitate occurrentium rerum nutus, atque indices voluptatis, lætitiæ, gaudii, stuporis, admirationis conformationes vix affabre exprimi possunt, quantò minus reconditi animorum sensus, in quibus vera pietas sita est? Tamen quemadmodum diffundentem sese quoquo versus solis lucem, per pictas variis coloribûs nubès, quàm pulchra atque efficax sit cognoscimus: sic quanta tum Vestra fuerit pietas, ex innumeris signis conjecturam capere, atque in ipso vultu relegere, in vocibus exaudire, in rebus gestis propemodum contemplari cuiusvis pronum erat. Quodsi ementitam ac fucatam pietatem, diuturnam non posse esse adjecero, Vestra quàm vera sit, non illum solum diem, sed totum hunc exeuntem annum, & hodiernam iterum diem testem atque obsidem habeo. Nam cum alii homines, post-



quam voti compotes facti sunt, retrahere sese ab iis, quæ sanctè promiserunt passim soleant, ac pro veris, ad quas se votò obstrinxerant, victimis, sola duntaxat illarum simulacra atque effigies impii veteratores consecrent; Vobis eadem totò hoc annò mens fuit, atque idem hodie animus est, non tantum de hoc munere nihil sacrilegè detrahendi: verum etiam, siquid sit, quod ipsa vota Vestra superet, liberalissimè addendi. Diu igitur multumque dispiciebatis, ac nihil frequentius inter Vos mutuò seiscitantes audiebatur, quàm illud: quo tandem opportunissimò locò sanctissimum delubrum hoc collocandum esset? quibùs profusis impensis? ad cujus præstantissimi exemplaris normam? an contra illa arte ac sumptu ut ipsum aliis archetypon esse possit? Sudabant præcellentes ingenio atque experientiâ architecti, porrigebantur Vobis multi elegantes typi, copulabatur in uno opere hoc, quidquid uspiam separatim pulchrum est, ita accommodabatur omnis structura magnitudini & memoriæ accepti beneficii, ut velle aliquid perfectius ac conari efficere, neque artis sit, neque impensarum. Interea ex toto, quâ latè patet regno, lætissimos accipiebatis nuncios, gratulari sibi ubique per Provincias cives de novis legibus, effundere sese in laudes & præconia Legumlatorum, concurrere ad supplicationes & gratias Deo agendas, convenire sola comite modestiâ ad celebrandos ex præscripto conventus, summos in iis recens institutorum apices observare, approbare, prædicare, extollere Vestra Comitia, censere ac statuere mittendos esse viros præclaros, qui voluntatis, suorum contribulium atque unanimi consensùs interpretes hodie sint, Vobisque publicè gratias agant. Eccujus admirandæ virtutis inaudita hæc prodigia esse dicetis? Vestræ ego affirmo pietatis; quantum enim Vos hic in Deum pii, tantum Ille in Vos per universam Poloniam be-



neficus, ac thaumaturgus. Ergo quemadmodum cæpistis, pergite, cavete ut ne hæreatis, aut, quod pejus est, retrocedatis, nam sic omnia Vobis pessumibunt. Siqui sunt, quis autem nescit, esse hodie plurimos? qui præfractè, impudenter atque impiè universum hoc Dei nutu gubernari negant, eorum impietatem magnifico hoc opere Vestro condemnate. Molimini constanter ac diligenter, quod sanctè promissistis: Deus nec luditur, siquis promisso non stet, nec ullis pietatis officiis, siquis ea accumularet, superatur, habetque semper, unde & violatam sacrilegè, & servatam religiosè fidem abundatissimè compenset. Vobis sudatis, Vobis, quidquid opus est, impenditis, Vobis monumentum ponitis, quod ut Religione Vestram in Deum pietatem: ita mole rerum gestarum magnitudinem posteris declarabit.

Qui ex summis infinitisque malis, in quæ Respublica hæc conjecta fuit, ejus hodie felicitatis mensuram caperet, eum credo illud quoque hæc maximè compendiariâ viâ consequi posse, ut palam ostendat, quantæ ac cujusmodi res, in his Comitiis actæ sunt, quæ tantam gentis totius fortunæ commutationem pepererunt. Neque ingrata tot malorum memoria cuiquam videri debet, cum & levissimè attingantur, & sanata esse affirmantur, & ad commendationem duntaxat remediorum, quibus superata sunt, commemorentur. Ut enim in morbis corporis, non tantum nos cruciat recordatio, quàm acuti ac periculosi fuerint; quantum delectat conscientia, quod depulsi sint: ita hic non tantopere, opinor, exacerbabimur inflicta olim vulneribus, quantopere gaudebimus, quod efficacibus remediis à periculo, à morte, ab interitu vindicati sumus. Itaque si legibus continentur in officio cives, si commerciis florent urbes, si



agrorum cultu frequentes exurgunt pagi, si artium studiò crescunt opes, si partís industriã rebûs securè perfrauntur incolæ, si prævisis emolumentis alliciuntur exteri; si copiis arcentur hostes, si metu, ne nobis insultent, deterrentur vicini, si omni necessario apparatu, ne ullum in nos imperium usurpent, ullamve in Regni provinciam jus sibi arrogant, potentes coercentur Principes; si nullum sit tempus, quo viduata suo moderatore Respublica prædæ sit pessimis civium, avarissimis finitimorum, infensissimis hostium; si accurata æqui jurisque administratione fortunatæ atque invictæ sunt nationes: quam, obsecro, umbram, quod vestigium felicitatis hujusmodi dicetur à quoquam habuisse ante gens Polona? Quis non ipsâ experientiã didicit, atque admiratus est, reservata illi fuisse universa præsidia hæc ad ista Comitia, ad V. Nonas Majas præcipuè anni superioris, ac tum demum subitò erupisse? An non in his tandem latæ sunt sapientissimæ leges, quibus Equestris ordo & liber sit & modestior, reflorescant urbes & municipia, quasi reviviscant oppressi tamdiu misera servitute coloni, nullo non labore atque industriã cumulentur domesticæ opes, securi vivant inquilini, alliciantur advenæ, verbò, quæ populi frequentia, artibus, commerciis mirum in modum suffragentur? Non in his admodum laudabili consensu & prudentiã decretum, ut exigenter tributa, scriberetur miles, comiteatu armis, omnis generis suppellectili bellica apprime instrueretur, qui vim vi repelleret, atque à proferendis ulterius in ditionem Vestram sinibus, cupidus vicinos Vestros cohiberet? id quod utinam maturius factum fuisset, nunquam adeo indignè vexatos cives, actas tot prædas, potentem quorundam dominatum, incendia, cædes, rapinas, probrosos in ipsa honestissimorum virorum corpora insultus, jacturam denique florentissimarum Provinciarum tam acerbè doleretis. Non in his Divinò consiliò factum, ut nulla in posterum adeo funesta genti sint interregna; deligeretur cum sua progenie egre.



egregius Princeps, poneretur hac ratione firmissimus obex factionibus, quæ disidiõrum, tumultuum, grasationum, expoliationum, civilis belli, confusionis rerum omnium, privatorum & publicorum damnorum innumerabilium, seminarium usque adhuc erant, declinaretur periculosior quàm Scylla & Charybdis vortex iste malorum quo mirum est, quod abrepta toties, hausta non sit Polonia? Porro id Vos potuisse consequi, quanti momenti sit, quis non facile colliget ex contraria prorsus Vestratum, eaque obstinatissima voluntate, qui successione seriem, Regni hæreditatem, progeniem non interrupto ordine regnaturam adeo horrebant atque averfabantur; ut firmissimis legibus ab ea sibi præcaverent, eumque, qui vel mentionem illius fecisset, perduellionis reum peragendum, ac summum Reipublicæ hostem statuerent? In eligendis Regibus summam Polonæ libertatis positam esse rati, huic phantasmati atque idolo nihil non libenter consecrabant: suas fortunas, domos, liberos, fratres, parentes, familias, possessiones, gentem totam, vitam ipsam, non focos tantum, sed & aras; illos sæpenumero exterorum in subsidium domesticarum turbarum advocando, qui eas sacrilegiis polluebant. Non exempla majorum, non immortalium præsertim Jagellonum diuturnum & felix imperium, non longè diversa aliarum gentium ratio, non incredibiles calamitates, de sua Polonos in hunc usque diem opinione deducere poterant, adeo perniciosissimum vitium quandoque pro natura inolefcit; ut quemadmodum hanc mutare: ita illud emendare operosum ac difficillimum sit. Vestris denique Comitibus eximius hic fructus debebatur, ut palam agnosceremus, non procul à probro abesse, quod nobis laudi ducebamus, gravissimum administrandæ Reipublicæ in eo versari mendum, in quo nobis plus aliis sapere videbatur, nec conferri nos isto regiminis genere cum



aliis gentibus posse, quò nos illis præstare existimabamus, certam perniciem atque interitum minari ac portendere id, in quo nos, haud scio, quam ejus salutem, dignitatem, amplitudinem perperam collocabamus. Si nimirum vitâ erepto Rege, ad alium deligendum aut gens tota viritim, aut terrarum primores quique viri convenirent, tempus in dissidiis & altercationibus miserrimè tererent, ac tandem ad hunc nominatim vel aliam creandum externi militis armis pars aliqua cogerentur, aliqua dilaberentur, turpi fugâ sibi confulerent, ac diu occulti latitarent. Vobis ducibus atque auctoribus inveteratus iste ac pestilentissimus error omnibus Civibus exemptus est, versatae sunt ob oculos tot acceptæ in interregnis clades, cohorrui evidens suum periculum gens univèrsa, redière in memoriam optimi Principes, Saxones Augusti; conversi sunt in Fridericum omnium oculi, conspiravère animi, erupit una vox totius Regni eundem ad clavum deposcentis, secuta meritò est summa tantæ unanimatis admiratio, crescebant in ornatissimum omni virtutum genere, præclaris dotibus, excellenti rerum gerendarum sapientia Principem indes studia, nihil per urbes, per Provincias, per totam Poloniam exaudiebatur, nisi lætissimæ gratulationes de tam inopinata Reipublicæ fortuna, nisi voces illæ: utinam immortalis esse posset Stanislaus! sed quoniam id per leges naturæ haud licet, nemo illi felicius sufficitur, quàm Fridericus. Nam si alter propemodum Conditoris Poloniæ, certè alter ejusdem Conservatoris nomen & rem apud posteros obtinebit. Alter nihil non egit, nihil non pertulit, ac constantissimè in proposito persistit, ut Polonis pro immensa atque indigesta sanctorum farragine, secundissimas unicuique hominum classi leges substitueret, equestri Ordini pro licentia veram libertatem, Regni



Comitiis pro inutilibus tricis salubres deliberationes, terrarum conventibus pro turbis & cruentis factionibus modestiam, magistratibus pro fuco & inani nomine debitam auctoritatem, urbibus pro miserabili, quo erant aspectu, splendorem, colonis pro comite servitutis pigritia alacritatem, toti Regno pro squalore ac vastitate frequentes strenuosque uberrimi soli cultores, virtuti pro neglectu existimationem & præmia, sceleri pro immunitate justas pœnas, vi atque audaciæ pro libidine agendi quidquid fors tulerit, frænum legum & pœnarum, publicæ rerum administrationi pro confuso atque umbratili regimine ordinem, vigorem, majestatem; alter ad tuenda præstara hæc bona atque in immensum augenda natus factusque esse à nemine ignoratur. Quid est igitur quod non acceperit in his Comitiis Polonia ab altero? quid esse potest, quod non sibi ab altero perinde sagaci atque industrio Principe jure merito promittat? Jam partes reddendi unicuique juris sui & ex sese cum difficiles sint, & in nostra judicia nulla non labes irrepserit: huic quoque ingenti malo efficax remedium, Sapientissimi Legumlatores attulistis. Describentur accuratè dubii hæctenus possessionum fines, non ventilabuntur tamdiu magnis impensis causæ, non sedebunt pro tribunali venales & mercenarii Judices, non quærent mille effugia caufidici, non dissolventur furtim oblato ære controversiæ, non artes, non potentia, non lucra & pollicitationes valebunt quidquam amplius in judiciis, quantominus intentatæ liberius minæ, metus vindictæ, manifesta vis aliqua iniquè offensorum propter administratam rectè justitiam. Abiére ex Polonia infelicia illa tempora, quibus hæc locum fortasse habebant, hodie vix non cælum novum, novus aer, nova terra est, adeo in melius mutata ac veluti refusa sunt omnia.



Non dolebimus exhaustas immensis sumptibus præclaras familias, non aut rejectos, aut semper inferiores causâ ex foro abeuntes tenuiores, non inculpabimus artificiosas Judicum moras, infinitos advocatorum dolos, emendicata litigantium suæ cujusque causæ à potentioribus patrocinia, non mirabimur, nescio quod portentum illud, ut ipsa verba indicant: sæpenumero posse esse causam, quæ sit justa non legitima, itaque quantum cui favet jus ac ratio æqui, tantum obest lex, adeo ut nec in justissima quidem controversia superior adversariò esse possit. Longè alia hodie creandorum Judicum, & exercendorum judiciorum, versantium in foro, & causarum agitandarum ratio est, alia reddendi juris adjumenta, maximè novus codex, denique modus, tempus, locus, præmium, pæna, minimi apices legibus comprehensi sunt, qui & Judices in ferenda sententiâ, & litigantes in cosequendo jure suo partes mirificè adjuvent. Et hæc atque alia innumera in his Comitibus à Vobis, Strenuissimi Regni Ordines, gesta, non magna, non singularia, non præclara facinora quisquam arbitrabitur? non maximorum conatuum ac laborum fructus eximios? plus in condenda gente aliqua, quam in instaurata à Vobis in hunc modum Polonia exantlandum laboris putabit? ego verò ferme nihil discriminis utrobique reperio, nec, sicui etiam jactantiùs rectefacta Vestra prædicare videar, dicere reformido:

Quantæ molis erat Romanam condere gentem,

Tantæ molis erat gentem renovare Polonam.

Quam rerum à Vobis feliciter gestarum magnitudinem transmittet quidem ad posteritatem monumentum hoc, quod hodie dedicatis, ac nemini non testabitur sua mole, sed nihilò minus recuperatam quoque genti gloriam suo splendore, id quod postremum eorum est, de quibus me dicturum promiseram.

Ut



Ut prosperæ fortunæ, rerumque sive pacis sive belli tempore ad mentem succedentium nunquam non sociâ esse solet gloria: sic afflictam uniuscujusque gentis conditionem primùm commiseratio, deinde contemptus, tandem ejusmodi quasi obliteratio consequitur; ut alii, existatne an non misera gens illa, penitus ignorant, alii eam de ferie florentium nationum ac catalogo prorsus expungant. Polonis, quæcunque ad maximam eorum nominis commendationem præstitisse Casimiros, Boleslaos, Sigismundos, Vladislaos, aliosque egregios Principes, ex monumentis certum est, omnia præclara atque immortalia facinora diuturnitate temporis obliterata esse, nemo inficias ibit. Postremus Joannes Sobiescius terror ille Turcorum, liberavit obsidione Viennam, fervavit periclitantem rem Christianam, obstruxit Europam, ultraque ejus latissimè patentes fines summam nominis Poloni celebritatem propagavit. Atque hinc, quod nemo suæ gentis amans non maximè doleat, desinere clari esse Poloni. Nam Augustus II. peritissimus alioquin rei militaris & belli gerendi Princeps, nec recuperandi duntaxat ex deperditis Provinciis aliquas cupidus; verumtiam inspirandi Polonis animos suo sanè Martio atque intrepido simillimos, suscepto contra Svecos bellò adversanti ubique fortunæ & oneri belli, non adjuvantibus Regis conatus, sed inter sese more suo digladiantibus Polonis, succubuit, de prædationemque & Poloniae & Saxoniae vidit. Tamen recuperatum à Thracibus Camenecum & vicinas regiones hujus Principis virtuti debemus, id quod nec expirantis Polonorum gloriæ ultimus anhelitus dici potest, cum nihil, ut hæc jactura repararetur, armis gestum sit. Mitissimò ingenio, suavissimis moribus, eccellente virtute Princeps Augustus III. nec ipse, nec piissima Ejus Conjux Josepha ullis sumptibus, ullis conatibus, ulla ratione id consequi potuerunt, ut in tot Comitibus, spatiò annorum triginta & amplius celebra-



tis, vel semel Poloniæ salubre quidpiam statueretur. Solis tum dis-  
 fidii & turbis noti erant cæteris nationibus Poloni, quibus quod  
 ipsi suæ gentis ruinam arcesserent, remotioribus, ut levissimè di-  
 cam, despiciatui fuere, finitimorum autem alebant spem mox affutu-  
 ri temporis illius, quo dissensiones hujusmodi & perniciosos mo-  
 tus in suum illi grande lucrum converterent. Augusto III. suffectus  
 est, spes unica salutis Reipublicæ Stanislaus, cui nemo unquam pa-  
 res ad luctandum cum difficultatibus in imperando animos attulit,  
 nemo ardentius boni communis studium, nemo tantum suæ gentis  
 amorem, nemo tot numerò & tam excellentes ad bene gubernan-  
 dam Rempublicam dotes, nemo tam admirabilem in providendis re-  
 bus sapientiam, in removendis discriminibus perspicacitatem, in pro-  
 sequendis salubribus consiliis constantiam, à qua si tædiò affectus vel  
 latum ungvem, ut ajunt, recessisset ante V. Nonas Maii actum fu-  
 isset, de Polonia. Tamen recordemini, obsecro, quãdiu irriti conatus  
 omnes hujus quoque fuere Regis, ac quã acerbè & in superiori-  
 oribus Comitibus conquerebantur nonnulli: non relictum esse nisi no-  
 men & simulacrum gentis, non convenire sese ad Comitibus nisi ut vi-  
 cinis rapinas confirmet, non fieri quidquam in Polonia nisi nutu  
 alieno: & in his, an non ipsissima Vestra sunt, & quidem toties re-  
 petita verba: Poloniam in numero gentium, quæ aliquid valent, pror-  
 sus non censerì. O præclaram gentis laudem! verùm ostupendam si-  
 mul fortunæ commutationem! o pretiosos! laborum Regis & Vestro-  
 rum fructus! o dignum perseverantiæ in bene cæptis præmium! Ea-  
 dem Comitibus, in quibus tristem depressæ gentis vicem dolebatis,  
 immo unius diei deliberationes, statuta & sapientissimæ leges tan-  
 tam Vobis gloriam pepererunt, ut percrebescente subito eorum fa-  
 mã, nullus jam ferme in tota Europa reperiat angulus; ubi no-  
 men Polonum celebre non sit. Mirantur prodigium hoc Vestræ sa-  
 pientiæ Kaunitzii, honorificam ejus mentionem faciunt Hertzbergkii,



summâs illud laudibûs extollunt Burkii, percussio numismate memoriam illius conservare volunt prædivites Amstelodamenses, imprimunt illud, ejusque innumeris exemplaribus Londinum & totum regnum complent Angli, libenter illud adoptare cupiunt Hungari, circumferunt in manibus Borussi; avidè arripiunt suamque in linguam vertunt familiares nobis ob loci, sermonis, & morum vicinitatem Russi, excitant sese mutuè ad vos imitandos Galli. Ad Vos, inquam, imitandos, qui prudentiâ duce, consiliò, animi moderatione id sine ullo motu & sanguine consecuti estis, quod vix sperare aut optare poteratis. Quid multis? gratulantur Vobis ex animo Poloniæque universæ, amicæ urbes, Provinciæ, Regna, Imperia, soli, si qui sunt, tantam gentis felicitatem ægre ferunt invidi atque infensi. Et quoniam non defuere ab initio cum ex remotioribus, tum ex finitimis, qui non verbis tantum & rationum momentis contendere, veruntiam pacisci ausi sunt: non secus Vobis hæc tanto motu inchoata Comititia sine fructu abitura, atque tot superiora alia; posteaquam res longè aliter accidit, qui Vobis sincerè favent, suppedet illos quidem à contra paciscentibus! palam victos esse, tamen quanto magis inexpectato eventu hoc recreati sunt, tanto vehementius gaudent, quod eorum opinionem fefelleris, damnumque suum, siquod subiere, Vestris emolumentis abunde compensatum arbitrantur. Econtrario qui Vestras res semper afflictas libenter viderent, qui Vos nunquam ex tot calamitatibus eluctaturos pacti sunt, qui easdem sibi lucro fuisse probè noverant, atque in posterum futuras sperabant, tripliciter anguntur, nimirum & errore opinionis, & jacturâ amissæ pactò rei, & penitus erepta spe ulterioris lucri. Sed vestra quid interest, angantur; an contabescant? modò id apud omnes confet, atque evidens sit, adeo Vos sapienter labascenti ac prodiediem ruituræ consuluisse Poloniæ; ut & amici tantis ejus bonis exultent, & infensi illa diripiendi animum despondeant, ac quod sæpenumero pro-



speros successus consequi solet, animos quoque cum tempore muta-  
 turi, atque ad tantò firmiorem accessuri amicitiam sperentur, quantò alie-  
 niores videbantur, & denique extincta iam pene Poloni nominis fama &  
 celebritas quasi revixerit, ac per remotissimas gentes divulgetur. Cujus-  
 modi vicissitudinem, quoniam neque hi, neque illi sperabant, tantò plus  
 in ea veræ laudis inest; cum inexpectatos eventus nunquam non vehemen-  
 tiùs miremur, & magis laudemus, quam qui obvii sunt atque in manibus.  
 Quodsi, ipso dicam in limine? an potius exorta? comparatæ per  
 Vos genti Vestræ felicitatis tantus jam splendor nominis Vestri ubi-  
 que diffusus est, quid est, quod sibi non polliceatur jure merito poste-  
 ritas? Nam quò tandem referat quis immensos labores Vestros, ex-  
 tracta in tot annorum spatium consilia, excellentes leges, totum no-  
 vum regiminis genus, longè celeberrima, cujusmodi alia ab Lecho  
 ab gente condita proferre nemo potest, Comititia, nisi eò ut Polonia  
 remotis attollendi sese, atque ex gurgite malorum emergendi obici-  
 bûs, sanatis vulneribus, reparatis damnis, auctis opibus, quæsitis  
<sup>u</sup>ndique ab ingenio, ab industria, à labore, ab incolarum frequentia,  
 ab artibus, à scientiis, à proficuis sæderibus, à quæstuoso commer-  
 cio, a singulari fertilitate soli, ab non incommodo situ, immo qui  
 nuper fuit, opportunissimo, exaggeratisque ornamentis, eodem cum  
 præcipuis in Europa gentibus ordine sit, nec facile cuiquam primas  
 concedat. Si ab exiguis initiis profectæ res nonnunquam in immen-  
 sum excrescat, quid non sperandum de Polonia, in quam ab hi-  
 sce tantum Comitibus, tot simul bona promanarunt? Siquarum me-  
 rus quandoque casus principium est, sensim promoventur ac firman-  
 tur, quomodo non Poloniæ crescat felicitas, quæ summi consilii  
 fructus est, illoque provehetur? Siquæ adversam fortunam ferme nun-  
 quam expertæ, sustinent sese, Civiumque non segni curâ conservan-  
 tur, quomodo non salus Poloniæ gentis propugnabitur omni studio à  
 Polonis, qui tot periculis jactati, magnis cladibus affecti, ipsâ experi-  
 entia



entiâ longè tristissimam conditionem suam edocti, tandem majorum suorum aliarumque gentium gloriam summo conatu æmulari cæperunt. Quinimo neque hoc ad suam laudem satis esse rati, etiam ut posterius eandem æmulerentur, exæquant, ac, si fieri potest, etiam superent, eò suos conatus omnes, consilia, deliberationes, sancita, leges, multorum annorum labores retulerunt, ut propterea Poloni nominis gloriæ & vindices sint & propagatores.

Atque hæc postrema amplissimarum laudum Vestrarum, Serenissimi Regni Ordines, pars, quemadmodum & tota fortasse propositi à me argumenti compages, sin minus, quàm par est, verbis à me cuiquam exornata videbitur, primum illud ego in causa esse affirmo, ejusmodi Vestra esse in his Comitibus rectefacta & numero & magnitudine, & excellentiâ, ut illa nulla vis eloquentiæ assequatur. Deinde, quod Vos solari potest, ac de quo Vobis gratulari debetis, scitote non defuturos egregios Scriptores neque domi, qui tam salubres Poloniæ res à Vobis gestas libenter arripiant easque cum maximis nominis Vestri præconiis memoriæ posteritatis fideliter tradant, neque foris apud varias doctissimas nationes, quibus horum Comitiorum successu cogniti, celebres, longeque clarissimi facti estis, qui Vos maximis laudibus extollant, atque immortales præclaris suis monumentis effecturi sint. Ad extremum si egregiorum facinorum testes, memoriæ conservandæ adjutrices, debitarum eximie virtuti laudum contra temporum injurias & diuturnitatem propugnatrices litteræ quoque ipsæ & scripta fatò aliquo prorsus interirent, ædis hujus sacrae, delubri sanctissimi, monumenti votò promissi, quod hodie dedicatis, non picturæ tantum & effigies, congestusque ornatus generis ornatus; sed saxa & lapides, ac vix non cum ipsa æternitate certaturi solidissimi parietes assertores Vos Poloniæ gentis gloriæ longinquissimorum temporum posteritati testabuntur.



Porro cum in rebus summi momenti omnino necesse fit, ut aliquis maximè emineat, ducemque sese atque auctorem reliquis præbeat: Tuum præcipuè, Sapientissime Rex Stanislae Auguste, grande hoc opus est, resuscitatæ an renatæ Poloniæ dicam? ipse nascio, Tuæ in illo primæ partes. Cujus divinas virtutes, excellentes ingenii atque animi dotes, incredibiles in vindicanda ab interitu Tua gente labores, posteaquam innumeri alii & in conclavi sede illa ac sanctuario consiliorum, & per Regni Provincias ubique, & apud exteros tantis laudibus extulerint: ut iis nihil addi posse videatur: ego illi, in qua primò locò versatus sum Tuæ pietati, cum Romano Oratore summam laudem tribuo, illam amoris esse omnibus contendo (g). Si summa est, ergo reliqua omnia præconia infra illam sunt: si omnibus amoris, ergo nemini non in deliciis es, à nemine non amaris. Summam laudem consequi, atque omnium sibi conciliare amorem, potest esse aliquid, quod quis magis optet? Quàm multi, quæso, extitere, qui laudes quidem consecuti sunt, sed non summam, neque amorem simul; quàm multi contra, qui amorem, sed non ab omnibus neque summam laudes. Soli quippe veræ pietati, ejusmodi Tua est, debentur ista simul, aliis virtutibus per partes, non rarè admodum modicas. Igitur quamdiu vi- ves, atque utinam bono Poloniæ vivas quam dutissimè, immo quamdiu in hominum memoria versaberis, amaberis; etiam vitâ ereptus, nunquam intermorituram Tui nominis laudem relinques, qui omnes Tuæ pietatis fructus, nempe servata gens Polona, summa Tua laus, amor erga Te omnium, adeo præcellentes sunt, ut neminem

(g) Pietati summa tribuenda laus est. Cicero ad De oratore. Omnibus est amoris pietas. Idem C. Cæs; Fam; 15.



esse credam, qui excellentius aliquid aut vivens appetat, aut è vivis abiturus, quod sit olim in vita consecutus, magis sibi gratuletur.

Secundum Reipublicæ, prope ad incitas magnis calamitatibus redactæ five Servatorem, five Conditorem dicere quis mavult, STANISLAUM AUGUSTUM Regem, Vobis quoque egregii atque infatigabiles Comitiorum horum moderatores nunquam non grata erit, superstes Polonia.

Attulisti, Stanislae Malachoyi, pares tanto negotiorum oneri vires animi, parem maximæ difficultati conciliandarum sententiarum prudentiam, parem ubique promovendis ad scopum consiliis moderationem. Ut optimus navis gubernator, si secundi afflent venti, provehitur, si æstus coortus sit, Syrtes & Charybdes & brevia omni diligentia evitat: ita Tu in hoc procelloso deliberationum pelago feliciter navigasti. Cum tantus deliberantium esset numerus, atque in tam longum tempus extracta essent Comitia, cum exæstuant nonnumquam ob discrepantes totò cælò opiniones animi, tamen non contigit id Tibi, quod contigit ante non paucos annos, quamvis egregiè cordato, atque ad antevertenda hujus generis subita consiliorum turbamenta admodum habili ex Tua gente Viro, ut iisdem cum illo verbis attonitus exclamares:

Quis furor? o Cives! quæ tanta licentia ferri? (h).  
Prodiisti in apertissimum campum istum, ubi potissimum præclaram

---

(h) Fuit is Adamus MAŁACHOWSKI vulgo Incisor five Dapifer Regni, in Comitibus solito perturbatoribus annò 1762. semel, deinde bienniò post, in Comitibus Convocationis annò 1764. quæ sapientissimè moderatus est Adamus Princeps CZARTORYSKI, Generalis Terrarum Podoliæ, suffectus Malachovio.



Tuam illam ostentares patientiam, quæ si fortuita, brevis, atque honestatis tantum causâ, occurrentium molestiarum esset tolerantia, laude non careret: quanto magis quod voluntaria, diuturna, non honestatis solum, verum utilitatis etiam ejusque publicæ causâ, adeo rerum arduarum ac difficilium perpessio fit, laudanda atque admiranda est? Quæ usu continuo, licet jam in naturam ferme versa Tibi esse videatur, tamen an non incidunt hinc sæpissimè res adeo molestæ atque adversæ, ut, si eas non singulari virtute sed naturâ, atque indolis bonitate, tam patienter ferres, nemo sit, qui non vehementer obstupescat. Verum non in eorum versatus es oculis, & versaris, qui nesciant, quid indolis bonitati, quid contra præstantiæ virtutis tribuendum sit. Itaque non defuerunt aliqui prudentes viri, qui Tuam singularem hanc regendorum animorum dotem, diu multumque admirati, hujusmodi moderatorem Gallorum Comitibus maximopere optabant, quò scilicet facilius ac cum majore gentis totius emolumento sua illis molimina succedere possent. Hæc rexisti Comitibus, in quibus Polonæ gentis incolumitas recuperata est, non sumptuum, non rerum Tuarum, non temporis, non valetudinis potiore Republica rationem duxisti, superasti Nostratum spem, in admirationem rapuisti externos, novum splendorem antiquo, nobilissimo, tot insignibus viris, gestis magistratibus, præcipuis in Regno muneribus clarissimo Malachoviano nomini addidisti, quid à me cumulatus ad Tuam laudem dici potest? Non omen felicitatis, sed ipsa Polonæ felicitas in Stanislai nomine inesse mihi videtur, cum & auctor illius Rex, & præcipuus adjutor Malachovius Comitiorum moderator Stanislaus sit.

Verum



Verum & Tuum, Casimire Princeps Sapieha, nostræ quoque gentis proprium ac perinde atque illud eidem salutare est, cum Litvania non foror Poloniæ non pars illius sed eadem cum illa Respublica sit, tantoque magis in his Comitibus majoris boni Communis spe altera cum altera in unum idemque Reipublicæ corpus confociata. Quare si Leones, si Paulos, Alexandros, Nicolaos, si tot alios præstantissimos Viros ex amplissima, potente, Romanis Fabiis nihilo inferiore Sapiehana gente, maximo Poloniæ fuisse ornamento gloriamur, Te iisdem jure optimo tanquam aurum auro addimus. Quod illi pro Patria gessere, Tu iis dotibus es, ut eos assequi possis, quod Tu in his Comitibus, id præstandi illi occasionem non habuere, cum Polonia nunquam in tam calamitoso rerum statu fuerit, ex quo illam simili Tuæ plenâ roboris & succi eloquentiâ, maturis iisque semper in promptu consiliis, mira agendi pro natura & diversitate negotiorum dexteritate, quam ipse oris totiusque corporis habitus ubique adjuvabat, vindicarent. Jam de admiranda solertissimi ingenii Tui illa vi, toties in medium promendi, quasi refertissimo quodam ex armario, opportunissimi ejusmodi consilii, quod continuò lubentibusque animis sequantur omnes; quoties diu anceps, utrinque vehemens, atque obstinata esse solet opinionum colluctatio, quid dicam? aut quicum Te illustrium majorum Tuorum, tam insigni & rarâ, voluntatum in res diversissimas propendentium Conciliatrice facultate conferam? non satis possum æstimare. Si florente Republica præclari Duces illi exercituum belli tempore, & hostium victores, si pacis tempore, eximii Senatores, idonei publicorum munerum administri, ipsarum dignitatum quibus exornabantur præcipuis, summa ornamenta, Tu id peculiare habebis, quod salutis pereuntis Poloniæ vindex sis non postremus, hocque



nomine magis, quàm adjectò Vobis nostrâ memoriâ Principum titulò omnes majores Tuos longè superabis.

Quotquot tam ex Senatu quàm ex Equestri ordine, incredibile studiò in Patriam, & singulari aliquo rectefactò nomen Vestrum commendastis, non postulabitis, credo, id à me, ut uniuscujusque grande in suam gentem meritum, nominatim laudibus extollam, sic enim nullus dicendi finis esset. Testabuntur perenni memoriâ digna & dicta & facta Vestra singula voluminosæ Comitiorum ephemerides. Præterea vererer magnopere, ne id agens, quantum laudis tribuerem aliis, tantum aliis detrahere viderer, exerrareque forte alicubi, plus minus illustri quàm omnibus numeris absolute virtuti laudis tribuendo. Neque enim in tanta laudandorum multitudine non facilis error esse potest. Quamobrem illud consultius esse arbitror, ut quemadmodum militibus, quicumque in acie steterunt, nec retro pedem retulerunt, victoria ac summæ laudes tribuuntur omnibus ita Vobis omnibus pro cujusque merito tribuantur. Atque ut in victore tot gentium exercitu Romanorum, <sup>m</sup>quævis res plerumque ad Triarios redibat, tamen neque Principes, neque Hastati debitis laudibus carebant: ita & Vos quamvis alii Pilanorum, alii Principum, Hastatorum alii, ordine stetisse ac decertasse existimandi estis: tamen quod rem strenuè unusquisque suo locò egissetis, maximis præconiis omnes meritò efferendi estis. Non laborum milites, non periculorum, non quàm fortiter quis, an meticolus quid in conflictu egerit, memores amplius, exultant parta in victoria, hanc sibi laudi ducunt, de hac gratulantur, ita & Vos, Serenissimi Reipublicæ Ordines, læti fruimini excellentibus bonis istis, quorum



ipsi his in Comitibus auctores extitistis. Reipfa edocti; non victricibus duntaxat armis fervari Rempubicam, non victoriis de hostibus accumulari lætitiã, non apparatu bellico & prosperis expeditionibus comparari gloriam, sed etiam sapientibus consiliis, de eorum Vobis successu, patriæque Vestræ majorem in modum gratulemini. Recogitate cum animis Vestris, id Vos tandem effecisse, quod summò studio quærebant tot egregii Principes, quod in animo & in ore habebant non pauci graves viri, majores Vestri, quod Vos ipsi magis optabatis quam sperabatis Vos aliquando consecuturos, à quo Polonos nunquam non novis obicibus præpediebant finitimi, quo florent reliquæ, quæcumque florent, nationes, in quo non deerunt fortasse, qui Vos libenter imitabuntur alii multi, id quod omni studio subruere conabuntur, siquos habetis, Vestri hostes, id quod Vos tantâ superiore annò complevit lætitiã, ut sempiternam ejus diei memoriam debere esse censeris. Quidsi adjumentis iisdem conservantur ac stabiliuntur res, quorum ope primùm esse cæperunt: mementote, quæ so, omnem felicitatem gentis Vestræ à pietate in Deum rerum humanarum supremum moderatorem; ab Ejus cultu, à vera Religione profectam esse. Hæc igitur omni ope atque operâ tuenda, inque animis hominum propaganda est, si Vobis ac posteris Vestris tanta bona salva esse vultis, quanta maxima ipsi ab eadem in vos piè atque ingenue consistemini promanasse. Contemplemini tot miserabiles aliarum nationum tumultus, seditiones, internecina odia, insidias, excusum legum iugum, contemptam Principum & magistratuum auctoritatem, conculcatum omne jus ac fas, grassantem ubique impiissimorum libellorum perniciem, morum corruptelam, sicariorum atque antesignanorum omnium scelerum colluvionem.

Horrescit reliquas animus percurrere pestes,

Aufusque infandos, & tristia funera Regum.



150 -

---

Cujusmodi funestissimæ Regnis pestes, quod per Vestram quoque Poloniam nondum pervagatæ sunt, Religioni tribuendum est, quæ adeo infamem in modum atque ita impune derisa, exsibilata, cum execrabilibus festis confusa apud nos non est, uti factum esse alibi videtis doletisque. Hujus igitur firmissimò murò tota regio munienda est, hujus, repagulis arcenda pernicies, hujus freni sciolis, loquacibus, audaculis juvenibus nonnullis iniiciendi sunt, ne ab iis pestilentissimum malum latius propagetur. Cætera omnia, quæ passim tanquam efficacia jactantur à quibusdam, amuleta, ita vana sunt, ut sublata Religione, legum auctoritatem, societatis humanæ jura, pænarum severitatem, magistratuum diligentiam, atque alia id genus, araneolarum telas non immeritò quis dixerit; quibus homines in officio minimè continentur. Sed effusè currentes impellere pluribus superfedeo. Ita & Religionem & Rempublicam munitis ac firmabitis, illa earum emolumenta ac præsidia procurabitis, sic reliqua, quæ Vobis, adhuc providenda sunt, conficietis, eum denique laudabilem celeberrimis hisce Comitibus finem imponetis, ut Vestrorum nominum æterna apud posteros memoria esse possit, atque omnia restructa Vestra immortalis gloria, qua abituris serius aut citius ex hac vita mortalibus nihil magis expetendum est, ac quæ sola cum hoc spiritu, quo vivimus, non eripitur, sola cum hoc quo constamus, corpore non tumulatur, sola cum rebus caducis, quas possidemus, miserabile aliorum spoliolum non est, consequatur.

---

M. J. J. J.



